

Q. 186.

(X 2000 270)



31

2. D. B. V.

HISTORIAM
 NORTBERTI
 ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS
 PRAEMONSTRATENSIS ORDINIS
 CONDITORIS
 PUBLICO EXAMINI EXPONUNT
 PRAESES

CASPAR SAGITTARIUS D.
 HISTOR. PROF. PVBL.

RESPONDENS

ELIAS ANDREAS SCHVBARTVS,
 HALLENSIS,
 PHILOS. ET SS. THEOL. STVD.

I E N A E

LITERIS IO. NISII. AN. clb lbc LXXXIII.



Serenissimo ac Potentissimo

ELECTORI BRANDENBURGENSI

^{IN}
ILLVSTRI REGIMINE

^{AC}
CONSISTORIO DVCATVS MAGDEBURGICI
A CONSILIIIS
VIRIS

Generosissimis, Summe strenuis, Magnificis,
Prænobilissimis, Maxime Reverend. & Excellen-
tissimis

D O M I N I S

Patronis & Promotoribus suis humiliter & devote venerandis

DISPUTATIONEM HANCCE
in ulteriorem studiorum suorum Academicorum

^{Promotionem}
Ea qua par est, animi submissione

consecrat

ELIAS ANDREAS SCHVBARTVS

Phil. & SS. Th. Studiosus.

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG



§. I.



Nter Archiepiscopos Magdeburgenses magnum & vere illustre nomen habet NORTBERTVS, Præmonstratensis ordinis conditor, cujus vita ac res gestæ proinde merentur, ut paulo diligentius recenseantur.

II. Neque tamen nos primi sumus, qui hanc suscipiamus curam, sed jam olim vitam ejus scripsit Hugo fidus ejus affecla ac discipulus, idemque ordinis Præmonstratensis propagator. (1) Idem postea fecit Martinus Merz, Prior cœnobii Rothensis in Svevia, & nuperrime Johannes Baptista Schellenberg e Soc. Jesu.

III. At quia hi plurima fabulosa junxerunt veritati historicæ, rarius nos illorum insistemus vestigiis, sed potissimum sequemur antiquiores Germanicæ historiæ scriptores: in quibus si forte desideraveris industriam & judicium, sublestam tamen fidem & temerarium fingendi studium non facile accusaveris. Neque tamen & horum omnia atque singula probaverimus, ac nullus dubito, quin apud Robertum de Monte, quem alias præ ceteris in historia Nortbertina diligentem deprehendimus, puriori metallo scoriam quædam sint admixta.

IV. Patriam Nortbertus habuit Xantensem urbem in Menapiis, ubi circa annum Christi c. LXX. ex prænobili Saliciorum stemmate in lucem editus est.

V. Neque hic dissentiunt, qui Coloniensem, nec qui Lotharingum patria fuisse asserunt. (2) Est enim Xanthus (*Santen*) in agro Clivenfi oppidum (3) Coloniensis diœcesios, veterisque

(1) Habetur apud Surium die VI. Junii.

(2) Paulus Langius in Chronico Citizenfi: *Martinus* (Polonus) dicit, quod hic Norbertus fuerit Coloniensis, sicut & Bruno, qui ordinem Carthusiensem instituit. Alii dicunt eum fuisse natione Lotharingum & forte Serius.

(3) Vid. Philippi Ferrarii & Michaelis Antoni Baudrandi *Lexicon Geographicum* tom. 2. pag. 344. Martini Zeileri *Itinerarium Germaniæ* c. 21 p. 462.

risque Lotharingæ multo olim latius, quam nuper & hodie, diffusæ terminis continetur, uti tradit Bernhardus a Mallincrot. (1)

VI. Ex ephebis egressus cum eximia quædam vis ingenii corporisque emicaret, in Henrici IV. & dein Friderici Coloniensis Archiepiscopi aulam ablegatus est, ut ibidem civilibus adfvesceret negotiis. Sed cum ingenti aliquando fulminis fragore ex equo sterneretur, cœleste id monitum ratus, ut aliud vitæ genus ingrederetur, in Sigebergense monasterium secessit.

1119. VII. Quod autem rigidus esset morum censor, ac novam & insolitam vitæ rationem auspicaretur, æmuli ejus anno c10CXIX. in Synodo Coloniensi tanquam hypocritam & impostorem novo vestitus vitæque genere cultum Dei novum, comminifcentem ipsum accusabant. Qua autem erat Nortbertus singulari eloquentia, facile retudit adversariorum ictus, ut ab omni crimine liber gloriosior ex certamine abiret. (2)

VIII. Eloquentiam Nortberti agnoscit etiam & deprædicat B. Bernhardus, Abbas Clarevallis, suumque simul cum eodem de Antichristo colloquium perscribit ad Gaufridum Carnotensem Episcopum Epist. LVI. (3)

1120. IX. Anno c10CXX. a Calixto Papa Bartholomæo Laudunensi Episcopo specialiter commendatus, cum ei Ecclesia B. Martini a prædicto Episcopo offerretur, tum propter urbis viciniam, tum quia ejusdem Eccle-
siae

(1) In Opere de Archicancellariis Imperii pag. 132.

(2) Vid. Conradi Abbatis Urspergensis Chronicon ad ann. 1119. ubi & hæc affert de Nortberto: Concilio Coloniensi interfuit, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat: unde & scriptum legitur de eo: Quia manus horum omnium contra eum, & ipse contra hos omnes. Confer. Centur. Magdeburgens. XII. cap. 9.

(3) Bernhardi verba hæc sunt: Quod a me de Domino Nortberto sciscitami, si videlicet iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, & de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius plurima haurire meruerim, hæc tamen ab ipso non audivi. Verum de Antichristo cum inquirerem, quid sentiret, durante adhuc ea, qua nunt est generatione, revelandum illum esse certissime se scire protestatus est. At cum eandem certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet, audito quid respondit, non me illud pro certo credere putavi. At summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem.

sia clerici propositi & vite ejus austeritatem horrebant, eam reliquit, & ab Episcopo diversis ejusdem provincie locis religioni congruentibus sibi ostensis, tandem divinitus in loco Præmonstrati resedit, ibique solitarius religiosam vitam agere cœpit, & tempore Quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus ante Pascha cum tredecim sociis rediit, & cum his in Præmonstrati loco secundum canonicæ institutionis normam ad tenorem regulæ Augustini Deo militare cœpit. Quæ sequuntur verba: Ordo Præmonstratensis incipit, forte ex margine in textum ipsum irreperunt. Atque hæc ex Roberto Abbate de Monte (1) vel propterea hic afferenda duxi, quod a narratione Schellenbergii aliorumque recentiorum aliquantulum discrepent.

X. De originibus novi hujus ordinis sequentia legas apud Auctorem magni Chronici Belgici a Johanne Pistorio editi ex Alberico, Bernhardo & Vincentio compilata: Anno Imperii Henrici XIV. Calixti vero Papæ secundo anno, qui fuit annus salutis MCXX. Ordo Præmonstratensis cœpit per virum venerabilem Dominum Northbertum natione Teutonicum: & fundata est Ecclesia sub Episcopo Bartholomæo in dioecesi Laudunensi, in præsentia viri nobilis Thomæ de Cocy & filii ejus Ingelranni. Hæc Albericus. Unde etiam Bernardus: Gvidonis, Calixto præfulante, cœpit ordo Præmonstratensis in dioecesi Laudunensi, provincia Remensis, sub patre Northberto (qui fuit civis Coloniensis) florere, & tanquam vinea fructifera suos circumquaque palmites propagare. De isto Northberto scribitur in Speculo Vincentii lib. 27. cap. 29. fuisse genere, divitiis & facundia clarum, postposita sæculi pompa inauditam distractionem arripuisse, & per aliquantulum temporis spatium nudis pedibus brumali rigore incedentem & verbum Dei spargentem multos ab errore convertisse. Item habet hic ordo CCCL. Abbatias. In eundem annum sæculi duodecimi vigesimum natales ordinis Præmonstratensis refert Paulus Langius. (2) Sed in latinis versiculis Chronici M. Theodorici Engelhusii (3) ponitur annus secundus & vigesimus: quod propter rhythmici sonum factum esse autumo.

A 3

Idem

(1) In Appendice ad Chronographiam Sigeberti Gemblacensis.

(2) in Chron. Citizenfi pag. 784.

(3) Ecce versiculos: Anno milleno centeno bis duodeno

Sub Patre Northberto Præmonstrati Siget ordo

Vel sic: In Præmonstrato formatur candidus ordo.

Idem Engelhusius Præmonstratenses a Nortberto Canonicos Nortbertinos dictos esse asserit.

XI. Paulo ante laudatus Schellenbergius ex Præmonstratensium Chronico tradit D. Augustinum Nortberto se coram stitisse, suasque tralucenti auro incisas leges e sinu prolatas in manus ei commisisse, verbis his adjectis: *Norberte, tene volumen manu nostra exaratum, quod te tuosque tremendo illo ac fatali mundi die ad Christi iudicis tribunal, si vita moribusque religiosis id expresseritis, æternæ ac beatæ immortalitatis securos reddet. Quæ quin ad amplificandam ordinis Præmonstratensium gloriam sint conficta, nulli dubitamus.*

XII. Attamen audiamus, quid de candido Præmonstratensium habitu idem fabuletur. *Augusta cœli regina (S. Mariam intelligit) ei se contemplandum obtulit, juxtaque in vallem modo demonstratam digito intendit, ac inter cœlestes hasce delicias in amplexantis ac a sensibus prope destituti brachia innocentie symbolum, candidissimi nimirum coloris telam deposuit. Fili, inquebat, tene amictum niveum. Inde ex oculis præ gaudio manantibus subducta in astra rediit.*

XIII. Complexus hæc omnia sequentibus rhythmis Nortbertinus quidam:

*Cruce locus præmonstratur
Vbi struas regiam,
Sancta tibi virgo mater
Vestem præbet niveam.
Sanctus Augustinus pater
Auro præscribit regulam.*

1122. XIV. Anno CIOCCXXII. Nortbertum apud Ningellam urbem verbum Dei prædicantem ex obsessa puella dæmonium valde quidem reluctans eiecisse, Robertus de Monte auctor est.
1123. (1) Idem ille ad sequentem annum memorat, quomodo Nortber-

(1) Roberti narratio ita habet: *Norberto apud Ningellam verbum Dei prædicante, & puellam dæmoniacam coram adductam exorcizante, demon irridens cantica canticorum a principio usque ad finem per os puella edidit, & ad verbum in Romana, deinde in Teutonica lingua interpretatus est. Sed Dei sermo arctius insistente tandem egressus est.*

bertus ad quarrendas sanctorum reliquias Coloniam veniens unam de undecim millium virginibus repererit & cum aliis sanctorum reliquiis Præmonstratum miserit: mox etiam S. Gereonis corpus inveniens partem ejus dono acceperit. Quæ quidem uti illorum temporum superstitionem arguunt, ita fabulis, quas in majus plerumque auxerunt novitii scriptores, distincta esse credimus. Inde Præmonstratum rediens (hæc iterum verba sunt Roberti:) & quadraginta jam clericos cum multis laicis secum habens, professionem eos facere secundum apostolicam institutionem & canonicam regulam beati Augustini docuit, & ad voluntariam paupertatem & promptam obedientiam, cæteraque militia spiritualis instrumenta eosdem diligenter instituit. Cui non multo post quidam Comes de Westphalia Goddefridus cum uxore sua conversionis gratia se contulit, & tria loca in allodio suo, castrum videlicet & Campenbergensem locum, Clostatensem, Warlarensem divino cultui per eum mancipavit. Cujus exemplo compunctus Comes Theobaldus homini Dei se familiarissimum fecit, & ejus monitis atque consilio multa postmodum erga pauperes vel quoslibet religiosos liberalitate atque munificentia uti coepit.

XV. Anno cixcxxv. (Robertus sequentem ponit:) Norbertus Romam proficiscitur, ubi ab Honorio III. Pontifice Romano honorifice exceptus, novi sui ordinis confirmationem, quæsiuit ac locupletissime impetravit. (1)

1125

XVI. Roma digressus, Wurtzburgum venit, ubi missam celebrans cæcæ mulieri visum restituisse fertur. Inde Præmonstratum rediens in Ecclesia B. Martini, quæ in suburbio Laudunensi sita, quendam ex discipulis suis Gvalterum primum Abbatem consecrari fecit: per cujus industriam tam spiritualia, quam temporaria adeo creverant bona, ut non modo religionis fama verum ipsius etiam Præmonstratensis ordinis pro-

(1) Robertus de Monte ad d. an. 1124. Obiit bona memoria Papa Clemens, cui succedit Lambertus, qui & Honorius, Ostiensis Episcopus, ad quem proficiscens pater Norbertus, & ab eo honorifice susceptus, quæsiuit ac locupletissime impetravit.

propagines in exterarum regiones extenderentur. Vivariensi quoque Ecclesie novum ex suo sodalicio dedit Abbatem, ac de-
nuo ex obsessio dæmonium ibidem expulit. (1)

1126.

XVII. Quid autem sibi velit Dodechinus, quando ad annum CIÖC XXVI. Nortbertum *virum religiosum Ecclesie apud Wormatiam præfectum* scribit, nondum me capere fateor.

XVIII. Eodem anno CIÖCXXVI. Antverpiam evocatus est Nortbertus, ut Ecclesie illi per Tandemi hæretici, qui jam e vivis excefferat, venenum labefactatæ opem ferret. Extemplo igitur eo se conferens nihil intermisit, quod ad repellendū virus videretur facere. Senatus itaque & populus Antverpianus grati memoresque asceterium probis doctisque ex disciplina Nortberti alumnis erexerunt, cui primus moderator Sylvanus deputatus est. (2)

XIX. Atque hæc sunt, quæ de gestis Nortberti ante ad Archiepiscopam Magdeburgensem quam eveheretur, reperimus. Nunc vero quæ de ipso Archiepiscopo literarum monumentis passim consignata sunt, in medium afferemus.

XX. Habuit autem in Præfulatu Magdeburgensi antecessorem Ruggerum, quem alii Rotgerum, nonnulli Rothardum, vocant; cujus obitus ab Auctore libelli *de fundatione monasterii Gossecensis* in annum CIÖCXXVI. refertur: quod verisimilius mihi videtur, quam quod anno superiori id factum velint Auctor, Chronici Montis-Sereni, Centuriarum Magdeburgensium ut & Chronici Saxonici Scriptores.

XXI. Ceterum ingens schisma tum temporis Ecclesiam, turbavit Magdeburgensem. Nam tres simul de hoc Pontificatu digladiabantur, quorum unus Arnoldus nomine (nisi nos fallit Dodechinus) est trucidatus. (3) Neq; prius contentionibus finis modusque est statutus, quam Lotharius Rex Germaniæ re-
motis

(1) Singula hæc pluribus persequitur Robertus de Monte ad ana.
1124.

(2) Vid. Robertus de Monte dicto anno, & Baronius Annal. Tomo XII.
ad ann. 1126.

(3) Dodechinus ann. 1126. *Arnoldus Magdeburgensis Episcopus occiditur.*

motis duobus illis, Nortbertum Magdeburgensibus præficeret. (1)

XXII. Sic igitur novus Archiepiscopus an. c10 cxxvii. ab Episcopis Halberstadenſi, Brandenburgensi aliisque in urbem, est deductus. Quod vero ipse Nortbertus vili cultu ac nudis pedibus incederet, ab atriensi Nortbertum de facie sibi ignotum pro homine obscuro habente palatii foribus exclusus est, donec ab adstantibus certior fieret, ipsum hunc esse Archiepiscopum. (2)

XXIII. Anno c10 cxxix. in Ammenslebiensi monasterio Canonicis sæcularibus substituit monachos Benedictinos, idque consilio & opera Arnoldi Abbatis Bergensis Nortberto familiaris & necessarii, qui & ordinis & collegii sui honori intentus nonnullos e fratribus suis eo ablegavit. (3)

XXIV. Eodem tempore in ædem D. Virginis Magdeburgi ordinis sui monachos introducere moliebatur, Canonicis (viginti erant numero) remotis. Vi tamen tantam rem agere inconsultum ratus, ut cederent, blandis iisdem perſvasit verbis. Transtulit horum nonnullos in alia Collegia, quibusdam certos unde viverent redditus assignavit. Sic ædes San-Mariana cum suis fundis & proventibus cessit familiæ Præmonstratensi. Negotium hoc tractatum & confectum est in monte Johannis Baptistæ, adjuvante rem Arnaldo Abbate. (4)

XXV. Ne vero Præmonstrati sacra detrimentum caperent, successorem Abbatem sibi statuit Hugonem, sub initium præsentis historiæ laudatum, ac porro ad regendas Antverpiensem ac Floriacensem Ecclesias quosdam e suo sodalicio destinavit. (5)

XXVI. Hoc item anno ingentem seditionem concitarunt Magdeburgenses adversus Archiepiscopum. Delatum nempe erat ad Nortbertum, basilicam cathedralem libidinibus esse profanatam,

B

fanatam,

(1) Robertus de Monte an. 1127. Krantzius *Metropol. lib. 6. cap. 12.*
Henr. Meibomius in *Chronico Bergensi pag. 21.*

(2) Chronici Saxonici Auctores.

(3) Meibomius in *Chronico Bergensi pag. 23.*

(4) Robertus de Monte an. 1129. Meibomius d. l.

(5) Robertus d. anno :

fanatam, ac id propter Misnensem & Havelbergensem Episcopos accersivit, ut ritibus consuetis eam denuo consecrarent. Cum autem cives remis velisque obniti animadverteret, coepta nocte quadam prosequi decrevit, qua obferatis basilicae valvis, assumtis laudatis Praesulibus aedem sacram expiavit. Vix dum peractis solennibus conglobati cives incondito passim clamore, concitato in basilicam irrumpunt, consecrationem impedituri. Furibundam plebem acrius accendit rumor quantumvis vanus, Archiepiscopum altaria Sanctorum disjecisse, gazophylacium exhaustisse, & in ipsa mortuorum conditoria grassatum. Nortbertus interea in his angustiis in summa turris conscenderat cum suis, donec vulgus defæviret, securum se ibidem putans. Sed illo quoque se penetraverat sentina plebis, jamque actum videbatur de bono Nortberto, cum repente Praetor urbis ex itinere reversus interveniret, prolatisque in medium sanctorum lipsanothecis motus comprimeret. Neque sic tamen res in vado fuit: quandoquidem brevi post denuo in caput Archiepiscopi cuderetur faba, & nisi clanculum se subduxisset, majus quam antea periculum subisset. Postquam vero & haec resedit tempestas, Magdeburgenses Archiepiscopum magna nobilium manu stipatum multa cum gratulatione receperunt. (1)

XXVII. Anno ciccxxx. Lotharius Rex Germaniae in gratiam Nortberti Magdeburgensi Archiepiscopatu tradit Abbatiam Alslebiensem in ripa Saesae sitam cum omnibus bonis ad eam pertinentibus, ac vicissim ab Archiepiscopo accepit castrum Schartfeldense in Hartzicis. Plura hoc de cambio cognoscere licet ex sequenti diplomate Lotharii, nunquam alias (quod sciam) edito.

Litterae Lotharii Regis super commutatione monasterii in Alsleve pro castro Schartfeld.

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ego LOTHARIUS tertius Dei gratia Romanorum rex. Quoniam divina clementa regni nobis commisit gubernacula, Ecclesias Dei restaurare, exaltare atque corroborare justum duximus. Quapropter notum esse volumus omnibus CHRISTI fidelibus tam futuris

(1) Chronicon Montis-Sereni pag. 11. & MSS. Chron. Magdeburgensia.

fu uris quam præsentibus, quod ob divinum amorem & carissimæ nostræ conjugis Rikze dilectique ac fidelis nostri venerabilis Magdeb. Archiepiscopi NORBERTI petitionem Ecclesiæ in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli & sanctorum Martyrum Mauriti sociorumque ejus Magdeburg constructæ legitimo concambio commutavimus & tradidimus Abbatiam, quandam Alsleve nuncupatam plurimum tam in interioribus quam in exterioribus dilapsam in ripa fluminis Sala nominati sitam, cum omnibus ad eam pertinentibus quocunque modo, animatis & inanimatis, mobilibus seu immobilibus, acquisitis & acquirendis, quæsitis & inquirendis. E contra vero a præfato fideli nostro Magdeb. Ecclesiæ Archiepiscopo Norberto per manum Heinrichi ejusdem urbis præfecti in concambium ad usum regni suscipimus castrum quoddam Scharfeld nominatum, in montanis, quæ Hartz dicuntur, situm, cum omnibus suis pertinentiis. Ut itaque hoc concambium & hæc nostra traditio omni contradictione sublata jugiter perseveret inconvulsa, privilegium hoc inde conscribi ac nostræ imaginis impressione iussimus corroborari. Hujus autem rei testes præsentis affuerunt hi subscripti. Norbertus supra nominatus Archiepiscopus, Vdo Cicensis Episcopus, Anselmus Havelburgensis Episcopus, Bernardus Hildesemienensis Episcopus, Obertus Cremonensis Episcopus, ... Cardinalis, Anselmus Cardinalis, Albero Abbas de Nuenburg, Arnolphus Abbas de Monte, Fridericus majoris domus Præpositus, Bodo magister scholarium, Lambertus Præpositus de Halla, Vnigerus Presbyter, Anthonius Presbyter. Ex Laicis. Heinrichus præfectus præfatæ urbis, Fridericus Palatinus Comes, Conradus Marchio de Within, item Marchio Conradus de Plotzeca, Ludewicus Comes Thuringiæ, Sifridus Comes, Florentius de Holland, Ludolphus de Weltingerode, Bernardus Vice-dominus de Hildensem, Widechinus de Swalvenberg, Hademarus, Conradus. Signum Domini Lotharii tertii Dei gratia Romanorum Regis invictissimi. Ego Tidmarus ad vicem Adalberti Archicancellarii recognovi. Actum Goslariæ IX. Februar. Anno incarnat. Dominicæ MCXXX. Ind. VIII. anno vero Domini Lotharii ex quo regnare cœpit, VI.

1131a

XXVIII. Anno cīōcxxxī. Nortbertus Ecclesiam *Dei Gratia* vocatam (*Gottes Gnade*) propter Calbam oppidum ad Salam sitam in honorem B. Virginis & Victoris Martyris fundavit, *de proprietate nobilis viri Ottonis Comitis de Crudorp*, ut habet Chronicon Montis Sereni. Ipse quoque Archiepiscopus una cum Comite primum lapidem in fundamento reposuerunt, ac ipse Comes a Nortberto ejusdem Ecclesiae factus est Canonicus & in diaconatus ordinem promotus. Primus illius Ecclesiae Praepositus fuit Emeiricus, cui successit Evermodus, qui postea Radesburgense pedum Episcopale indeptus est. Ac notat ibidem Chronici laudati Scriptor, *omnes illius ordinis clericos Magdeburgensis dioecesis votum Episcopo, & non suis Praepositis fecisse.*

XXIX. Eodem anno Nortbertus in Galliam ad concilium Remense proficiscitur, in quo confirmata electione Innocentii Anacletus Antipapa anathemate percussus est. *Attulit autem Nortbertus secum Ecclesiae suae privilegia vetustissima & fere a vermibus consumpta, quae cuncta Romano minime fecit renovari & corrigi, apponens ea, quae receperat de manibus illorum, qui ea injuste & violenter rapuerant. Addidit praeterea aliud privilegium secreto, ut cum daretur oportunitas, Romana fultus autoritate ordinem suae religionis in Episcopali propagaret Ecclesia.* Verba haec sunt Hugonis in vita Nortberti a Baronio repetita.

1133b

XXX. Anno cīōcxxxīīī. Archiepiscopus noster cum Lothario Rege, cujus jam factus erat Cancellarius, Romam se contulit ad introducendum in sedem suam Papam: ubi Lotharius Imperatoriam inaugurationem ab Innocentio II. Pontifice impetravit. Singulare est, quod de sessionis praerogativa inter Archiepiscopi nostri & Abbatis Fuldensis ministros nata lite refert Mallincrotius ex antiquo scriptore inter monumenta Fuldensia reperto, cujus verba merentur adscribi. *Ipsa eodem die consecrationis Imperatoris & Imperatricis, Domino Apostolico, & ipsis confidentibus, orta est dissensio inter ministros ipsius Abbatis & Archiepiscopi Magdeburgensis de primatu sedendi: cumque pro hac re vicissim prope usque ad effusionem sanguinis altercarentur, superveniente Abbate & justa defensione pro hujusmodi rationem reddente, favente sibi Imperatore, ut ab initio Fuldensis Ecclesiae omnibus antecessoribus suis concessum erat, primatum*
sedem

Sedendi invito Archiepiscopo obtinuit. Bene autem est, quod Mallin-
crotius addit, sanctum virum ab hujusmodi contentionibus plu-
rimum abhorruisse, eoque haut difficilem fuisse istius motus
compositionem.

XXXI. Hoc ipso tempore Nortbertum & cum eo successo-
res singulos *Primatis Germaniae* titulum a Pontifice accepisse re-
centiorum quorundam est sententia; Sed quod jam diu ante
Præsules Magdeburgenses hoc ipso titulo & titulo juncta digni-
tatis prærogativa fuerint gavisi, pluribus alibi demonstrabimus.

XXXII. Illud tamen certo certius est, quod Innocentius
Papa tunc temporis confirmaverit Archiepiscopatu Magdebur-
genfi debitam Episcoporum Poloniae & Pomeraniae subjectionem:
eaque de re locupletissime docemur ex Bulla Pontificia, quæ
nunquam ante vulgata tanquam insigne splendoris Magdebur-
gici monumentum hic meretur representari.

*Bulla Innocentii Papæ II. super certis Episcopatibus in Polonia
& citra Archiepiscopo Magdeburgensi subjectis.*

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili fratri
Norberto Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.
Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, ex quo te in filium
specialem assumpsit, tuæ devotionis fervorem atque industriam in
suis opportunitatibus certis indiciis comprobavit. Ceterum no-
vissime diebus istis cum divinæ dispositionis providentia nos
licet indignos & minus idoneos ad Apostolatus administratio-
nem placuit evocare, id ipsum in persona tua magis ac magis
enituit, tuæque fidei ac religionis constantia non tantum vicin-
is sed etiam remotis nationibus evidenter innotuit. Siquidem
nec labor aliquis temporalis, nec alicujus minæ seu blanditiæ
efficere potuerunt, quin adversus Petri Leonis tyrannidem mu-
rum inexpugnabilem te opponens & ad ipsius Regis & aliorum
Principum corda in B. Petri obedientiam inducendo efficaciter
laborans. Dignum est igitur ut sedes Apostolica, quæ de tam
devoto filio plenis visceribus gratulatur, tuis obsequiis atque la-
boribus debita benignitate respondeat, & te ad suum servitium
exequendum amplius obnoxium faciat. Proinde Venerabilis
frater Norberte Archiepiscope querimoniam illam, quam ad-

versus Episcopos Poloniae in nostra praesentia deposuisti scripturae & atramento duximus committendam. Afferebas equidem praefatae regionis Episcopos ex antiqua institutione Magdeburgensi Ecclesiae jure metropolitico subjacere, & ad confirmationem tuae partis auctoritatem Praedecessorum nostrorum Johannis, Benedicti & Leonis beatae memoriae praetendebas. Quos nimirum Episcopatus, qui ultra Salam, Albiam & Oderam esse tunc temporis videbantur, seu qui ibidem in antea divina essent cooperante clementia disponendi, interventu Ottonis piissimi Augusti supposuisse Magdeburgensi Ecclesiae astruebas, quorum videlicet Episcopatum nomina haec sunt: Inter Albiam & Oderam Stetin & Lubus, ultra Oderam vero Pomezania, Potztuan, Gnezen, Cracovv, Wratislavia, Crucivvitz, Masania & Lodilacum, unde legitimis datis induciis earundem Ecclesiarum Episcopos, ut tibi de tua querimonia responderent, tam per literas, quam per nuntios semel atque secundo ad nostram praesentiam invitavimus, ipsi vero non venerunt, nec ad nos responsales aliquos transmiserunt. Visum est igitur nobis & fratribus nostris, quod nec ipsi de contumacia sua lucrari deberent, nec Magdeburgensis Ecclesia diutius propria justitia privaretur. Ideoque carissime frater Norberte Archiepiscopo ex Apostolicae sedis benignitate atque justitia de praedictis Episcopatibus & terminis quos jam dicti Praedecessores nostri Antecessoribus tuis concessisse & Ecclesiae tuae pertinere noscuntur, te in possessionem missimus & investivimus, & ut de cetero iidem Episcopi fraternitati tuae obediant per scripta nostra praecipimus, nihilominus tibi tuisque successoribus & per vos Magdeburgensi Ecclesiae quemadmodum praenominatos Episcopatus sic etiam qui in posterum mihi auxiliante Domino fuerint ordinandi irretractabiliter possidendos jure perpetuo confirmamus. Tua igitur frater dilectissime interest in amore & obedientia sanctae Ecclesiae Romanae persistere, & pro his, quae ad honorem & utilitatem ejus spectare cognoveris attenta diligentia vigilare. Vt autem hoc quod a nobis canonice institutum est, stabile maneat, Apostolica censura sub divinae judicii attestazione jubemus, ut nulla persona parva vel magna, aut quilibet successorum nostrorum haec quae

quæ statuimus infringere præsumat, hujus privilegii violator cum Juda proditore æternis suppliciis deputandus dampnetur. Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Wilhelmus Prænestinensis Episcopus. Ego Johannes Hostenfis Episcopus. Ego Conradus Sabinensis Episcopus. Ego Johannes tit. Sancti Chryfogoni Presbyter Cardinalis. Gerhardus Presbyter Cardinalis. tit. Sanctæ Crucis. Ego Anselmus Presbyter Cardinalis tit. Sancti Laurentii in Lucina. Ego Lucas Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum Johannis & Pauli. Ego Martinus Presbyter Cardinalis tit. Sancti Stephani in Cœlio monte. Ego Romanus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bachi. Ego Otto Diaconus Cardinalis Sancti Georgii. Ego Guido Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani. Datum Laterani per manum Almerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, II. Non. Junii. Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXXIII. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ II. Anno IV.

XXXIII. Albertus Abbas Stadenfis in hunc, quem præ manibus habemus, annum c10cxxxiii. refert, quod Nortbertus Vicedelinum, qui postea Aldenburgensis in Holsatia factus est Episcopus, in ordinem sacerdotalem promoverit. Sed forte in computo fallitur Albertus, ac ante annos aliquot id factum esse conjicio. In re ipsa consentiunt Helmoldus Chron. Slav. l. I. c. XLVI. & Krantzius Metrop. l. VI. c. XII.

XXXIV. Ceterum non diu post ex Italia quam est reversus Nortbertus, morbo gravi corripitur, quo cum per quatuor menses conflictasset, extinctus est anno c10cxxxiv. quarta feriarum hebdomadæ Pentecostes. *

XXXV. Hinc paulo ante excessum ejus gestum esse opinor, quod in calce libelli *de Fundatione monasterii Gozecensis* de eo legitur. *Sub eodem tempore hortatu Northerii (sic per incuriam sive librarii sive typographi legitur pro Nortberti) Archiepiscopi Dominus Fridericus Agnæ Palatinæ filius rebus militaribus exuitur & Parthinopolim rediens armis spiritualibus induitur.*

* (vid. Hugo, Rob. de Monte, Chron. Montis Ser. Albertus Stad. Engelhusius.)

XXXVI. Θαυμαλῆγγον eum faciunt plures, & præcipue, ceu vidi

vidimus, Robertus Abbas de Monte. Schellenbergius porro vaticinandi donum, ac tantam voci ejus vim attribuit, ut lupum ovibus infidiantem ipso inclamante protinus in fugam conjecerit.

XXXVII. Hinc etiam in ordinem Sanctorum ab Innocentio III. Pontifice publicis tabulis relatus sacris solennibus per bonam orbis Christiani partem coli cœpit ab anno CIA CXCVIII. Et vel in præsentem diem id fit in Romanensi Ecclesia, ubi in primis Præmonstratenses monachi hunc Patrem ac Patriarcham suam exquisito cultu venerantur.

XXXIIX. De corpore illius inter Canonicos majoris Ecclesiæ & fratres monasterii S. Mariæ gravis exorta est contentio, quam quidem solus Imperator Lotharius potuit dirimere, qui monasterio San-Mariano illud adjudicavit, * in quorum æde conditum, * vid. Rob. de Monte. Chron. M. Ser. & Engelhusius. est cum hoc Epitaphio.

NORBERTVS DEI GRATIA MAGDEBURGENSIS ECCLESIAE
EPISCOPVS ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS INSTITV-
TOR ET HVIVS MONASTERII RESTAVRATOR SVB
HOC MARMORE CONDITVR ANNO DOMINI MCXXXIV.
IV. IVNII.

XXXIX. Illud tamen anno præsentis sæculi sexto & vigesimo auspiciis Ferdinandi II. Imp. consentientibus Reverendissimo Administratore & Senatu Magdeburgico Præsul Strahoviensis cœnobii Caspar Questenbergius Magdeburgo Pragam transtulit. Mallincrotius, Petrus Baptista Burgus & alii Scriptores Pontificii annotarunt, Magdeburgum non prius a Cæsareis copiis expugnari potuisse, quam hujus tutelaris divi reliquiæ ex urbe fuissent exportatæ. Verum nisi Deus decrevisset in hostium manus resignare, Magdeburgensem urbem, neque ab occupatione, neque a furialibus flammis immunem ac intactam servassent Nortberti cineres.

Quam bene præclari sequeris vestigia Patris,
Tam bene succedant studiorum præmia quævis!

Id quod Ornatisimo ac virtute & doctrina Præstantissimo Dn. Respondenti ex animo præcatur

PRÆSES.

QK. 186.

(x 20)

31

HISTORIC
NORTHERN
ARCHIEPISCOPI
PRAEMONSTRATA

CASPAR SAC

ELIAS ANDRE

LITERIS IO. NISI

